

J. N. J.  
Per Schediasma

De

**ERUDITIONIS  
GENUINÆ NATURA,  
PARTIBUS & EFFECTIBUS**

*edifferens*

*NOBILISSIMOS pariter atq; LITERATISSIMOS  
Lycei Laubanensis*

**PATRONOS atq; FAUTORES,**  
*ad audiendam patienter & benevolè  
Orationem*

de

**PRÆSTANTIA HUMANÆ NATURÆ,**  
*qz*

*2. d. 22. Martii 1697. peractis Sacris matutinis, græcè, latinè &  
germanicè in soluto æqve ac ligato sermone de-  
clamabitur,*

*ea, quâ par est, observantiâ & Humanitate  
rogatus invitatus*

**M. Friedrich Bude /**  
Lycei Sub-R.

Excudebatur Lauba.





\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*  
Vicquid hodiè inæqualitatis in toto terrarum orbe ubivis obviam inter homines deprehenditur, id omne à lamentabili Protoplastorum lapsu proficisci, notius eheu! est, nobis præsertim, quibus mysteria Regni Christi scire datum est, quam ut operosâ probatione indigeat. Omnes uno ore Christiani fatemur: ex quo primus homo æqualitatem cum Deo affectavit, non modò se ipsum Nosq; suos posteros Dei dissimiles fecit, sed & omnem, quæ nunc est, inæqualitatem introduxit. Optandum esset modò, quæverulos mortales, quoties aliquid primæ origini contrarium vel in se ipsis vel in aliis sentiunt & experiuntur, toties quoq; causas hujus *ἀλαξίας* & miseriæ à corruptione Adamicâ repetere; ut vel sic profunditatem peccati originalis eò clarius agnoscerent. Mihi vero in limine hujus Schediasmatis hæc meditatio suborta est, quod, dum pauca de *Eruditione* tradere accingor, distinctionem hominum in Literatos & Illiteratos non nisi ex hoc fonte, at quam putrido! derivare & arcescere possum. In concreatâ justitiâ si perstitisset homo, distinctionem Eruditorum & Ineruditorum ignoraremus, & ad unum omnes pulcherrimâ sapientiæ stolâ ornati incederemus. Ast quales nunc ab utero sumus? Tabulæ nudæ similes; Est comparatio Aristotelis agnoscentis fortè cum aliis gentilium sagacioribus quandam naturæ humanæ corruptionem, quamquam morbi hujus nec *Causam*, nec *Subjectum*, nec *Magitudinem*, nec *effectum* illi



420450

illi extra Ecclesiam homines intellexerint. Quæ Jobi est sententia, quâ nudum de utero matris suæ se egressum dicit, eam de se unusquisq; usurpare potest: nudi corpore, nudiores animâ egredimur de matris utero. Ignaros enim rerum omnium projicit nos natura, ut homo primis infantiae annis non hominis, sed bruti animantis vitam vivere videatur. *Qu' etois-tu en naissant, si non une bete brute ayant forme humaine?* quærit conquerens Dominus Ludovicus Baylius in suâ praxi pietatis p. 54. Omnis ergo scientiarum amictus prudentiori educatione, fideli institutione, indefesso studio, constantiq; meditatione comparandus est. Una hæc est via, quæ è tesquis inscitæ ad cultissima Tempe perducit. Iter vero, per quod ad nobilissimum eruditionis cimelium pervenitur, si quis ingressurus est, summè necessarium illi esse videtur, ut ante Ideam sibi aliquam totius eruditionis concipiat, ut limites ac terminos sciat atq; constituat, quos emitti debeat aut valeat. Peregrinantium enim illi optimè scopum ferire deprehenduntur, qui, quàm exterarum oras invisunt, antè cujuslibet regionis non modò celebriores urbes prænoscent, sed & peculiarem ejus genium expiscantur, in quonam potissimum studio occupentur incolæ? utrum artificiosè exstructis ædificiis superbiant? utrum, & qualium artium & scientiarum cultura abundant? quibus moribus gaudeant in vestitu, alloquio & victu? quænam regiminis obtineat forma? & sic porro. Ita enim quisq; pro scopo, quem præfixum habet, hanc regionem deserit, illam adit, atq; deinceps exterorum non modò muris sed & moribus prudenter illustratis proficua scientiâ perpolitum patriæ suæ civem reddit atq; restituit. Ad hoc exemplum & consilium in genuinæ e-

Vid: Dissert: Thomæ: de Ornatu animi.

Vid: Baylii Praxi Pietatis.



ruditionis naturam inquirenti apparet, eam nihil aliud esse, quam restitutionem, reparationem, vel etiam exornationem earum rerum, quæ per funestum Adæ lapsum vel amissæ, vel velut rudera adhuc residua sunt. Erat autem Adamus duplici sapientiâ in Paradiso instructus, rerum nempe divinarum atq; humanarum, quarum causas & ordines perfectissimè callebat. Si quidem id ex *Speciminibus publicis*, quæ manibus Conditoris sui adhuc quasi calefens quibuslibet nempe viventibus verum nomen indendo edidit; Item ex  *dono Prophetia*, quando de futuro in universum præfatus est, Gen. 2. v. 23. 24. Et generatim ex *conformitate Adami cum Deo*, unde animus ejus velut inoffenso rivo sapientia semper perfundebatur, abundè conjecturare licet. Unum prætere- rre & tacere hic nefas existimo, sapientiæ Adamicæ par- tem quoq; fuisse *Sui ipsius Cognitionem*. Cum enim res extra se constitutas adeò rite calleret, se ipsum verò igno- rasset, tanti momenti, quantam tamen semper prædi- camus, felicitas Adami non potuit esse. Quam cum ne- mo Nostrum in dubium vocitet, eo ipso sui ipsius notitiam Adamo competiisse in propatulo est. In eo autem confi- stebat, ut primus homo cognosceret candidè, se ipsum non esse DEUM, sed imaginem ejus manibus elaboratam, quæ quanta quanta sit ex Creatore pendeat, adeoq; nullam sibi magis in divinam Majestatem convenire virtutem, quàm mentis & oris humilitatem. Abs hâc enim nec rectum de creaturis iudicium ferendo, nec ex Deo vitam, vigorem & lucem accipiendo erat idoneus.

Sed quorsum hæc? Veræ Eruditionis flumen lustraturi eramus, adeoque fons quærendus, & prima scaturigo adeunda erat. In quam cum nunc penetraverimus, se-  
cure

eurè de eruditione pronuciare valemus: quod *me- thodica atque digesta sit DEL, Sui ipsius atque Mundi sci- entia*. Quæ ipsa Descriptio vetustissimam illam commu- ni olim consensu inter Ethnicos intelligentiores rece- ptam includit, quando *Sapientiam* definiebant *rerum Di- vinarum atque humanarum scientiam*. Nolo autem hic immorari evolutioni vocabuli σοφίας sive sapientiæ, quam Pythagoras, Samius ille pro modestia suâ non σο- φός sed φιλόσοφος, in Philosophiæ denominationem mu- tavit, neque multis adducere, latissimum olim fuisse Philosophiæ ambitum, ita ut Theologiam, Juris pruden- tiam & Medicinam omnesque liberales artes sub se com- prehenderet, adeoque ingens nostros inter atque anti- quos Philosophos esse discrimen. Id unum explicatio- ne dignum iudico, quid causæ sit, cum in nostrâ tripli- cis, in antiqva autem duplicis tantum objecti fiat mentio. Scilicet quæ nos distinguimus in duo, Ethnicorum Phi- losophi uno vocabulo exprimebant. Per Divina enim non tantum intelligebant DEUM, sed etiam Ejus effecta, Microcosmum putà sive orbem sublunarem, & Macro- cosmum sive mundum supralunarem. Non ergò no- stræ Definitioni contrariatur, sed potius eam, siquidem ab antiquitate aliquod momentum accedit, insigniter cor- roborat. Stat itaque, Eruditionem in suo ambitu com- pleti notitiam DEL, sui ipsius & mundi; & contra id om- ne, quod triplicem hanc notitiam non promovet, ad- tricas & inutiles speculationes meritò esse referendum.

Nec facile quenquam nobis ita sentientibus adver- santem suspicamus, cum, quicquid hodiè in Scholis no- stris sive facultatum principalium sive instrumentalium nomine veniat, commodè ad aliquam prædictarum no-

Cicero Libr. 7.  
Off. C. 41.



titiarum accomodari possit. Et ut major dictis constet fides, libet statim ordinationem ad instituti nostri robur attentare. *Notitia rerum Divinarum* latino nomine est, quod græco est *Theologia*. Quod autem inibi etiam Anthropologia tractatur, id fit eatenus, in quantum notitia Sui ipsius tendit ad felicitatem æternam. Rerum Divinarum autem principium cum sit sola Scriptura sacra, eaque ante natum Christum in lingua Hebraicâ & quoad nonnulla loca in Chaldaicâ, post natum verò Christum in Græcâ sit conscripta; statim intelligitur, quò pertinet ad *Philologia sacra*, quam tribus absolvi partibus constat, Linguarum, Historiarum, & Ceremoniarum sacrarum notitia. Instrumentum nempe est Notitiæ DEI, quò nemo cordatus ejus cultor carere poterit. Notitia sui ipsius, quantum ad temporalem felicitatem attinet, considerat vel *Animam*, ubi circa ejus correctionem, actiones & defensionem occupatur *Ethica, Jus Natura & Juris prudentia Civilis & Ecclesiastica*; vel *Corpus* tunc ejus partes, partium Connexionem, Operationes &c. scrutatur partim *Physica*, inque eadem Caput peculiare, quod dicitur *Physiologia*, partim *Medicina*, quæ illius intendit sanitatem pariter ac sanationem. *Notitia iandem Mundi* est vel *Naturalis* vel *Civilis*. *Notitia mundi naturalis* contemplatur *Corpora Naturalia eorumque phenomena*; idq; vel quoad *Essentiam*, quod munus iterum est *Physica*, vel quoad *Quantitatem*, quod vendicat sibi *Mathesis*. *Notitia mundi Civilis* acquiritur ex *Jure publico & Politica*: Illo Jura Principum tum respectu habito ad se ipsos, tum ad territorium cuius proprium explicante; Hinc verò præcepta tradente, quibus Princeps prudenter instituere debeat regimen, ut obtineat summum

Bo-

Bonam Politicum. Quæris: ubi *Rhetorica*? ubi *Logica*? ubi *Historia*? Resp: Ut varias *Metaphysicas* mutationes taceamus, atq; ex hodiernâ facie eam dijudicemus, instrumentalis est Disciplina occupata circa verba *Philosophica*, appellata proin à B. Thomasio non inconcinne *Lexicon Philosophicum*; Perinde ut *Grammatica recte*, & *Rhetorica eleganter loquendi rationem* considerat & præscribit. *Pneumaticam* vero reducere licebit ad notitiam rerum Divinarum. Quod enim Notitiam Spirituum peculiarem & prælaudatis tribus contradistinctam non facimus, prohibet angustia rerum, quæ de illis in sacris Literis consignatæ prostant, factâ tantummodo eorum inibi mentione, cum *Dei vel circa pios cura & providentia*, vel *adversus infideles severissima justitia*, quæ ignem æternum maledictis spiritibus paraverit, prædicanda venit. De cætero illi, qui doctrinam Spirituum ex Theologiâ, id est, ex revelatione mutuuntur, ac Disciplinis Philosophicis, quarum tamen principium esse debebat ratio, intrudunt, pro se ipsis verba facient. Nobis adhuc incumbit edisserere, in quo censu *Historiam* habeamus & *Logicam*? Ut verbo respondeamus: Sunt duo instrumenta præstantissima, notitiæ triplici omnino communia. *Logica* enim dirigit intellectum, ut rationes invenire, necessarias conclusiones elicere, falsitates à veritatibus, & in his necessarias à probabilibus secernere valeat. *Historia* vero Sapientiæ cultori suppeditat exempla, quibus datis elicit prudenter vitæ regulas, demonstrationes, illustrationes & alia. His ita non deductis sed obiter adductis, porro disquirere postulat ordo, quænam triplicis hujus notitiæ sint Effecta? An forte præmium ejus est aurum? imò vero aliquid auro pretiosius. Pecunia



cunia enim virtuosam animam non capit. An honos? Sane hunc ipsum mundus sapientibus semper ex merito non decernit. Ergo ne quidem præsumere integrum erit, generosam animam per sapientiam adeo caduca & humilia bona venari & aucupari. Symbola potius ejus sunt: *Benè vivit, qui benè latet; Et: Natura adeoq; multo magis Gratia paucis est contenta.* Longe majores divitias & possessiones intendit, *dulcissimam nempe animi voluptatem vel conscientie tranquillitatem.* En verò jam Eruditionis genuinæ effectum! jucundissima est cordis tranquillitas. Eamus autem nunc per triplicem nostram notitiam ostensuri, quid & quantum quælibet ad summum illud & inæstimabile Bonum contribuat? Minimam quidem suppetias ad boni hujus possessionem ferre videtur *notitia mundi*, quippe rerum extra nospositarum & fragilium contemplatrix; at si non multum, sanè non tamen nihil affert. Saltem exornandi & augendi locum habitura est. Probo: Stultitias, vanitates & varietates mundi nosse, via creditur ad veram sapientiam & dehinc ad constantem felicitatem. Experienciâ quoq; firmum est, aliorum splendidam fortunam nostra sæpè excitare desideria & vota, dum humiliore sorte nati vel donati felicitatis summæ nos non posse fieri participes, præpostere autumamus. His vero dubiis cunctis tollendis si notitia mundi inservit, siq; ostentat, quam transitoria sint omnia creata, quibus tamen maximopere mortales confidunt, siq; edocet, *totum mundum agere histrioniam*, id est, vana imò nulla non pauca esse bona, ea scilicet, quæ potius in opinione hominum, quam sanâ ratione fundantur, ob quæ tamen non raro altercationes, rixæ, judiciales processus, imò cruenta

ta bella oriuntur, cur non Notitiæ Mundi aliquem concedamus locum prædictum effectum vel comparandi vel augendi? Præcipuè cum considerandum & illud restet, hominem sapientem per aspectum creaturarum ad summi Conditoris potentiam, bonitatem & sapientiam egregiè manuduci. Pergamus verò ad *Notitiam Sui ipsius*. Hæc tantarum est virium, ut vel sola statuminetur veræ tranquillitatis conciliatrix, se ipsam innumeris Gentilium prudentiorum exemplis, in quibus *Socratis & Platonis* eminent, mirè commendans; Siquidem illi *ἀνθρώπων* virtute non modò solida à lubricis secernere, sed & iis fortiter spretis in solâ animi culturâ acquiescere valuerunt. Per hanc enim homo in se ipsum deducitur, ut in quo sua posita sit præstantia, edoctus, voluptates corporis, sive sint *necessariæ*, quales sunt edere, bibere, sive *spontaneæ*, ut actus veneris, tanti non faciat, quippe & brutis communes, contraq; in perpurgando & exornando animo, qui solus præ brutis præstantiam nobis vindicat, unicè laboret.

Cum verò hodie post lapsum nemo tranquillitatem animi tanta constantia possidere queat, ut non aliquando *λογισμοὶ κατήγοροὶ* (cogitationes accusantes Rom. 12. v. 15.) in animo exsurgant; sanè devotissimas nos Christiani pro *revelata* nobis *DEI notitia* grates agere tenemur. Nobis enim adeò licet esse felicibus, ut, cum nos à tentationis fluctibus hinc illinc jactos Philosophia deserat, succenturiantem & succurrentem habeamus codicem sacrum. Is vel proponit *Legem* vel *Evangelium*. *Lex* injungens nobis amorem DEI purissimum, atq; ab omni sollicitudine rerum mundanarum defecatum ingens sanè Dei in nos ostendit beneficium, quippe dignioribus adhærere corda nostra jubentis, eaq; omnia, quæ nobilitatem nostram dedecet, contentim habere imperantis. Et licet vires humanæ eò usq; pervadere nequeant, ut in solo DEO beatissimo acquiescamus, nunquam ab hoc scopo deflectentes; potens tamen in nobis est Christus, quotidiè nos renovans nosq; suo merito, at quanti valoris! erigens. Talem verò nobis sistit *Evangelium* delineans



eundem acceptissimo *Sponsoris* nomine, qui, uti longè major est corde nostro, (1. Joh. 3. v. 20. adeòq; impœnientes magis adhuc condemnare valet, quam cor malè sibi conscium eos damnat,) ita & sufficientiora animæ solamina instillare potest, quam animus omni sapientiâ humanâ excultus & refertus. Quæ singula haud vulgarem honorè & incomparabilem autoritatem sacris literis fœnorantur, quippe quæ non modò infinitis gradibus Philosophiâ humanâ & seculari superiores sunt, sed & succurrere debent, quando illa non sufficit, nostrumq; animum eò deducere tenentur, quò illa minime pervadit. In proclivi nunc fuerit cuivis definire vel etiam de se ipso subsumere, quinam & quò usq; aliquis in Eruditis locum mereat vel inveniat. Sanè spatiofissimus & vix emetiendus rerum eruditarum est campus, quib<sup>9</sup> singulis addiscendis vix ullum humanum ingenium sufficiat: Eum ergo eruditi nomine jure dignabimur, non qui multa scitu speciosa, sed qui vel paucas, modò proficuas & sui & proximi emendationi veritates cognovit: qui corde in bonis obfirmato stultitias hominum intelligit, iisq; implicari se haud patitur, ut potius eas aliis candidè aperiat, ac ut mole hæc plusquam faxeâ liberentur, omnem admovet lapidem. Hujusq; generis homines societatibus quibusvis apprimè sunt utiles, etenim à voluptatibus, ab honorum & pecuniarum cupiditatibus immunes omnes actiones in proximi emolumentum, tremendi Numinis honorem, propriæq; conscientiæ solamen unicè instituunt. Laudatam vero dexteritatem supraq; prædictam felicitatem cum præcipuè *DEI*, *suiq; ipsius Notitia* acquirat, quibus notitiis plus temporis majoremve diligentiam impendere deceat, cuivis decidere erit in promptu. A theoreticâ Eruditionis contemplatione progredi nunc lubet ad ejus Communicationem: Atq; tum ad *Viros* imprimis *Scholicos* istud munus pertinere intelligitur. Scholæ autem cum sint vel *preparatoria* vel *suprema*, utrisq; quidem unus idemq; propositus est finis, *Rerum* nempe *divinarum, Humanarum atq; Mundanarum Communicatio*: Modum vero ac limites docendi differre

differre extra dubium est. Quæ Scholæ juvenem ad Academias præparant, id præcipuè attendunt, ut necessariis instrumentis munitus eò aptior ad tractandam principalem aliquam facultatem accedat. Cum verò Disciplinæ Instrumentales Superiorum auxiliatrices nudis Regulis vix intelligantur, omninoq; vivere debeant Exemplis, quisq; prudentiorum haud difficulter intelligit, *quem & quâ ratione*, locum Reales etiam Disciplinæ in Scholis præparatoriis inveniant? Omissis nimirum Antithesibus, & Quæstionibus dubiis, conclusiones illarum Exempli loco proponi commodè possunt, imò verò debent. Scholis nostris propria est Tractatio Lingvarum Eruditarum, Græcæ nimirum & Latinæ: Quis verò vitio vertat, si ad Exercitationem utriusq; Styli Materia quædam, vel *ad Notiam DEI*, vel *Sui ipsius* pertinens systematice in calamus dictetur. Explicandi sunt Autores Clasici: an verò limites transgrediatur, qui ad Explicationem eorum, saltè per discursum, placita Philosophorum, Historiam Philosophicam vel Mythologicam & alia proposuerit? Quem docendi tenorem quomodo & ego pro tenuitate meâ observaverim, commodam quidem dicendi occasionem heic loci mihi suppeditari video: At ne Schediasma citra necessitatem in nimis longum extendere videar, ad id, cujus gratiâ calamus plagulæ huic admovi, pedem promoveo. Scilicet id operam dedi hætenus, ut præter Analysin Græcæ Lingvæ, etiam de Synthesi constaret fidei meæ commissis. Observare itaq; in Lectione tum Athenagoræ, tum Pythagoræ eos jussi Græcorum Constructiones pariter & Connexiones. Ergò jam jam tempus & ordo postulare videbatur, ut post semina sata tandem ad messem i. e. à Theoriâ ad Praxin deveniretur. Equidem facile augurari licet, fore multos, qui superfluum istum laborem habeant, cum sola Lingva Latina Eruditorum facta vernacula ad loquendum, scribendum & docendum adhibeatur. Verum enim vero, quando Græcæ Lingvæ Synthesin suscipimus, ideò fit, ut Naturam, genium & indolem ejus Cultoribus eo clarius ostendamus: item, ut vocabulorum & Phrasium Copiam sic repetant



petant & accommodent, ne aliquando ob peregrinam aliquam Constructionem in Scriptoribus Græcis obviam statim hæreant. Si verò majoris ponderis dubium circa hanc rem movere juvat, de tempore potius Quæstio oriri possit, quando ad Synthesin progrediendum? Placemus enim non rarò nobis, si Programmata invitatoria orationes Græcè vel etiam Hebraicè declamandas jactitent, cum tamen ad ejusmodi Orationis Compositionem non nuda vocabulorum cohærentia, sed exacta & profunda totius Lingvæ prærequiratur Notitia. Ergò qui Græcæ Lingvæ Synthesin defendere aggressus sum, in tantum eam admitto, si animis Characteres dicendi per præviam probati Scriptoris Lektionem fuerint impressi. Atq; ob præviam hanc Præparationem, quâ Auditores meos Notitiâ Constructionum & Phrasium Græcarum munitos præsciebam, & ego nuper integram Orationem Græcè elaborandam proposui. Neq; deero impostero, præter Lektionem & Analysin, quæ publicè, ubi pluribus est inserviendum, tantum non semper est urgenda, privatim Oratiunculas & Epistolia ad confirmandos Juvenes in hâc Lingvâ proponere. Eandemq; viam DEO adjuvante pressè secuturus ero in Exercitiis Latini sermonis. Qui enim Latinismi ob penuriam temporis & ob alia impedimenta, ubi Doctrinæ sæpè succurrendum est per alterum Scholæ brachium, Disciplinam, non satis exerceri publicè queunt, in privato quodam Collegio per varia Progymnasmata Rhetorica imprimuntur, ita quidem, ut & per Exemplorum gravitatem ex triplici laudatâ Notitiâ desumendorum animi pascantur & faturentur.

Initium verò hujus instituti nuper capturus quinq; ingenuis Juvenibus id negotii dedi, ut nudam DE PRÆSTANTIA HUMANÆ NATURÆ dispositionem vestitu oratorio exornarent atq; unus quidem Idiomate Græco, Latino alter, alter Germanico uteretur.

Cumq; vereretur, ne, si Conclusio Argumenta applicantia Themati huic convenienter urgeret, Elaboratio nimis proluxa & sic tædiosa fieret, tractationem hanc Practicam peculiari Compositioni destinavi; atq; quia Poëseos fermè propria est Affe-

Affectuum Cura & Praxis, Carmina confici exin volui duo, alterum Latinum, Germanicum alterum, in quibus officia ex Præstantiâ humanæ Naturæ dimanantia quilibet pro ingenii sui modulo urgeret. Ne autem occasionem, cur in hoc præcipuè Thema inciderimus, silentio prætereamus, hæc est: In Lektionem Athenagoræ occupatis occurrebat egregius & uncialibus literis dignus locus Nemefii in Scholiis infra notatus, quo *ἡνέθειαν* sive nobilitatem humanæ naturæ admiratur. In hujus lectione non modò me ipsum sed & Auditores mirè affectos sensi, quasi natura indicaret vim suam, (quæ in parili casu phrasis est Ciceronis de Amicit: Cap. VII. v. 11.) cum laus nobilitatis nostræ, quam sex hominum non attendit, ingenuo animo auditu longè sit gratissima. At eo statim tempore apud me constitui, materiam hanc Carmini vel Orationi destinare, usq; tandem dignitas Thematis quintuplicem Elaborationem mereri visa est. Spartam vero cum quilibet prælaudatorum juvenum ita adornaverit, ut facile omnium bonorum approbationem mereantur, dignos etiam judicavi, ut publicè audirentur, atq; præsentia Honoratissimorum PATRONORUM & FAUTORUM ulterius in literarum stadiis excitarentur. Horum nomina, quæ ordine, quem quilibet in Classe primâ forte fortitus est, intimabimus, publicam lucem non reformidant, suntq; sequentia.

Primus est *Johann Heinrich Dertel / Ludwigsd. Silesius*, qui cujus sit mentis & ingenii, non tam ex eo judicare licet, quod primum in Classe primâ teneat locum, quam quod almâ Generosissimi DOMINI à SCHWEINIZ, *Serenis: nostri El: Camerarii splendissimi, Communis Literatorum Patroni* manu studia ejus foveantur & provehantur. Hunc, quia naturam ad Pœticos labores non novercam sed benignam adjutricem experitur, Germanicum Carmen elaborare jussimus.

Secundus est *Caspar Gottschling / Ligniz-Silesius*, quem, quia *Consultissimus DOMINUS HILSHERUS, Consul Lauba Spectatissimus* favore & hospitio dignatur, facile inter melioris



notæ homines referre possumus; præcipuè cum præterea nil prius nil antiquius ducat, quam *Patris admodum Reverendi Pastoris Ecclesiæ Lobdaviensis vigilantissimi spem & vota in lingvis proficiendi explere imò vel superare. Adeoq; & Græcam ei Compositionem commisimus,*

Tertius est *David Ebersbach / Laubâ Lusatus, Crvis apud Nos integerrimi non dissimilis filius, cui ad liberalia studia prosequenda inavôns ferme hæreditaria contigit, quiq; ad Exemplum Avorum & Patruorum, quos quatuor habet, Viros de Ecclesiâ pariter, Re literariâ & Negotiis publicis meritiſſimos, omnes animi nervos ad tuendam famam à Majoribus partam intendit. Naturale itaq; facundiæ flumen cum ipsi contigerit, Germanicam Elaborationem ad eum devolvimus, rati, si pulchrum duxerit Cicero cum Græcis conjungere Latina, & nobis esse integrum imò necessarium cum Latinis & Græcis conjungere Germanica.*

Quartus est *Gottfried Böttner / Friedersdorff: Lusatus, Pastoris dicti loci præclare Docti & Solertissimi, filius Patris vestigiis insilens, atq; eò enitens, ut ad superiorem aliquam Facultatem pectus latinis & græcis literis pastum & saturatum aliquando afferat. Quo circa non infeliciter Carmen aliquod Latinum ipsi fluxurum esse credidimus.*

Quintus est *Ernst Siegemund Schober Swidnicio-Silesus, Adolescens ut aptus ad Studia Mathematica, omine non infausto futurorum in Medicinâ progressuum: sic felix prolixas Germanorum sententias Latino Idiomate rotunde exprimere. Ea propter convenire ei putavimus Elaborationem Orationis in Linguâ Romanâ solutæ Ne vero tædiosa sit nimis frequens repetita Captatio Benevolentia, succurret Commilitonibus suis*

Sextus, *GODOFREDUS GUNTHERUS, JOACHIMI Consul: Laub: senioris Gravissimi Filius Natu, non autem Indole & spe, mini-*

minimus, excipiendo Auditores Honoratissimos, brevibus atq; subjectissimis verbis exoraturus benevolam attentionem post-decantatam prius seq. Odam:

1.  
**S**chmümmerte Herzen /  
 Was trachtet ihr viel  
 Nach Reichthum/ Ehr und vielem Wissen?  
 Ihr macht euch Schmerzen  
 Drum ändert das Ziel /  
 Wo euch die süsse Ruh sol küssen:  
 Jesum und sich selbst erkennen /  
 Kan die Trauer-Wolcken trennen.  
 2. Das Reichthum bringt Sorgen /  
 Viel Ehre bringt Weid /  
 Und sehr viel wissen macht viel grâmen: Pred.  
 Da klaget ihr Morgen (c. 1. 12. 5. O seeligstes Wesen!  
 Dem andern sein Leid /  
 Und ihr müsst euch der Güter schâmen;  
 Aber Jesum und sich kennen  
 Kan die Trauer-Wolcken trennen.  
 3. Nur Jesus bringt Leben /  
 Und dâmpfet den Tod;  
 Wer kan so treu/ wie Jesus lieben?  
 Er hat sich gegeben

In schreckliche Noth  
 Und hilfft noch / wenn wir uns betrâben:  
 Darum lernet Jesum kennen  
 So wird sich das Leid zertrennen.  
 4. Wir Menschen auf Erden  
 Bestehen in GOTT;  
 Allein bey ihm stehn unsre Sâchen:  
 Er weis die Beschwerden/  
 Er wendet den Spott /  
 Er kan uns hoch und fröhlich machen!  
 Drum geht in euch/ lernet euch kennen/  
 So wird sich viel Kummer trennen.  
 O süsseste Ruh!  
 O süsseste Ruh!  
 Gib/ daß ich mich und dich recht wisse:  
 So kan ich genesen /  
 So sag ich dir zu /  
 Daß ich vor Welt dich lieb und küsse /  
 Und mein größtes Reichthum nenne  
 Wenn ich mich und dich erkenne.

Finitis Declamationibus dimittet Auditores CHORUS  
 MUSICUS Odâ quadam ad hunc Actum à me accommodata:

1.  
**A**uf dem ganzen Kreis der Erden  
 Hat der Mensch den größten Ruhm:  
 Was mag ihm verglichen werden?  
 Gott nennt ihn sein Eigenthum /  
 Ja sein gleiches Ebenbild /  
 Daraus Weisheit glänzt und grünet /  
 Einen Brink/ dem Wald und Wild  
 Ja das ganze Erdreich dleuet:  
 Drum/ Mensch/ was klaget was jaget ihr sehr?  
 Betrachtet euch wegen der herrlichen Ehr.  
 2. Was die Thier und Engel haben/  
 Dieses hat der Mensch zugleich:  
 Er hat Leibs- und Seelen-Gaben /  
 Ist denn der Mensch nicht reich?

Er beurtheilt diese Welt /  
 Die sich selber nicht erkennet /  
 Und was seinen Leib erhält /  
 Ist zu seinem Dienst ernennet.  
 Drum Menschen was etc. etc.  
 3. Eines Menschen Ziel und Leben  
 Geht auf Gott und Ewigkeit;  
 Aber andre Dinge weben  
 Nur ein kurzes Nu der Zeit:  
 Denn ihr Endzweck höret auff /  
 Der ist: unsrer Nothdurfft dienen.  
 Doch auf unsern Lebens-Lauff  
 Folgt ein ewig wiedergrünen;  
 Drum Menschen etc.




4. Zwar der Adel ist verlohren:  
 Statt der Ehr ist Schmach und Pein:  
 Wärs doch besser nicht gebohren /  
 Als in stetem Jammer seyn:  
 Ach ein Thier ist wol daran /  
 Stirbt es: es so mag's verwesen  
 Weil der Mensch nicht sterben kan/  
 Bleibt er zum Weh auserlesen.  
 Drum klaget und jaget ihr Menschē gleich sehr  
 Des Jamers und Wehesi! tausendmal mehr.  
 5. Doch hört auf ihr Klage-Lieder!  
 Denn wir sind nicht mehr verflucht:  
 Wir / wir armen haben wieder  
 Was die Schlang zu rauben sucht?  
 Gott ward Fleisch; ein Mensch wie wir /  
 Daher sind wir armen Sünder  
 (Ach rühmt euch des für und für!)  
 Jesus Brüder / Gottes Kinder!  
 Drum Menschen was klaget / was jaget ihr sehr?  
 Ist gross's verlohren / der Heiland bringt mehr.  
 6. Hochbeglückte Creaturen /  
 Deren Fleisch Gott an sich trägt:  
 Da die Engel diß erfuhren /  
 Ach wie wurden sie bewegt!  
 Und es ist auch wunder's werth!

Der in Freuden kunte leben  
 Hat die Feinde so geehrt  
 Und vor sie sich hingegeben.  
 Drum Menschen was klaget was jaget ihr sehr.  
 Ist gross's verlohren etc.  
 7. Du wolan! so sind wir Herren  
 Unfers Feindes und der Welt!  
 Wer wil wieder uns sich sperren  
 Da Gott selbst auf uns viel hält?  
 Alles als kömmt uns zu gut /  
 Was uns hier und dort erfreuet /  
 Drum sey frölich Muth und Blut!  
 Wie sind wir so wol verneuet?  
 Drum Menschen was klaget etc.  
 8. Nu ihr Menschen merck't den Adel  
 Den uns Gott geschencket hat:  
 Was den aufhebt / heis' ein Tadel  
 Euch gehdrt nicht Ubelthat:  
 Was uns Gottes Sohn erwarb /  
 Ach der treueste Freund ans allen!  
 Da er vor uns liebt und starb  
 Diß / souyt nichts sol uns gefallen.  
 Drum klaget und jaget ihr Menschē nicht mehr /  
 Lebt Jesu: diß Leben bringt Ruhen und Ehr.

Placeat itaq; vobis, ô Patroni Lycei Vestri Nobilissimi,  
 juvenum nostrorum industria, quæ apud hujus potissimum æta-  
 tis homines, nisi exciterur laude & approbatione, frigere solet.  
 Quod ne fiat, Vestræq; Scholæ flos & vigor maneat, accessu ve-  
 stro, quo honore dignæ sint bonæ literæ, cultura in primis lin-  
 gvarum, edocete; de me quidem nullum dignum redhostimen-  
 tum, verum de Republicâ aliqvando longè validissimum enco-  
 mium & præmium præstolati. Valetè! favete! & si per offi-  
 ciorum & negociorum Vestrorum rationem potestis, Die  
 Veneris peractis sacris matutinis in Auditorio no-  
 stro faventes adestote!


S. D. G.















244

244
















244

244















